ver. Benidicere ſcripſit. Poſſunt & nuptias benedicere, & Sacramentum Matrimonij miniſtrare Religioſi in Nouo Orbe in populis ſignatis, vbi exercent officium Parochi, non ſolum Neophitis, ſed antiquis Chriſtianis ibidem habitantibus, y à Meſtizos, Negros, y Mulatos, ſine alia licentia Diœſani: & hoc per multa priuilegia [vt dictum eſt] antiqua quidem Nicolai, Innocentij, Sixti, Leonis, Adriani, Pauli. 3. & Pij. 5. Quia dicit vt hactenus conſueuerunt &c. Et Gregorij. 13. qui omnia ſuorum confirmat, & omnem tollit reſtrictionem etiam per eum poſitam. Et hoc non eſt contra Concilium Tridentinũ, vt infra in propria quæſtione probatum eſt. Hæc ille.

8 ¶ Leo. 10. conceſſit Fratribus Minoribus, vt quilibet Catholicus Epiſcopus poſſit conſecrare Eccleſias eorum, & Altaria, Calices, & Ornamenta, & omnes alios actus Epiſcopales exercere, in locis & perſonis Fratrum prędictorum obſeruantiæ, Diœceſani loci, vel cuiuſuis alterius licentia minime requiſita. Ex Compendio, ver. Benedicere. nu. 15. Hoc priuilegium eſt reuocatum per Concilium Trid. Seſſ. 6. de Refor. cap. 5. vbi dicitur,